

ed.



~~17-60.~~

EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

17-60.

SIGNAT. clvIvCCCCXIII.



4  
DEUS ADJUTOR NOSTER!  
TOPSCHA, sive  
DOPSCHINA,

(Die hüpsche Que/ zwischen dem Gebürge)  
AL. TOPSCHINUM, OPPIDUM METALLI-  
CO-MONTANUM CHALYBIFERUM,  
HUNGARIÆ SUPERIORIS  
IN TERMINO BOREALI COMITATUS  
GÖMÖRIENSIS SCEPUSIUM VERSUS SITUM, ANTE  
HOC FERME SECULUM, REPENTINA EAQVE NO-  
CTURNA TURCARUM FILLEKIENSIVM IRRUPTIO-  
NE DEVASTATUM, INCENSIS ET IN CINEREM  
REDACTIS ÆDIBUS, ET, PROH DIRUM  
SPECTACULUM!

CAPTIS ABDUCTISQVE OMNIBUS UTRIUSQ; SEXUS  
INCOLIS Anno 1584.d.14 Octobr.

Cujus Casus Tragici Historia olim contexta fuit

à  
CASPARE PILTZIO Loci

Ejusdem tùm Pastore;

Nunquam autem Typis exscripta publicis:  
Inventa nunc in Scrinio Chartarum Rapsodicarum;  
Producta & Posteritati commendata

CHRISTOPHORO DANIELE KLESCHIO,

SEMPR. Dan. Fil.

A. O. R. cl. l. c. LXXI.

---

WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS HAKEN.




V I R O  
Nobili, Amplissimo, Prudentissimo, Consultissimoque,  
DNO. MATTHIÆ CHRISTO-  
PHORI, Cromp. Pann.

Urbis Electoralis Sax. quæ WITTEB. est SEN-  
TORI Meritissimo, Domino Fautori & Cognato suo ho-  
noratissimo,  
S. P. D.

**E**xpilavi hisce diebus Scrinia & Capsulas Chartarum in Museo Jusſu  
Ven. Dni. Parentis Mei, excusi pulveres, quadam obiter inspexi, &  
in suum quodq; locum reposui: Incidi & in tuas, Cognate Honoratissime, li-  
teras, quas cum aliis Parens legere nec vetat, nec me tædet. Huic Tuarum  
literarum fasciculo alligatam invenio hanc, quam tibi dedico, miserabilis  
excidii Topſchensis descriptionem, quã Dnus. Parens habet, ex communica-  
tione Pl. R. Dni. JOH. FONTANI, Paſt. Cromp. Tui p. m. Dni. R. Parentis  
vñi μαχαρίτ Successoris. Quero ex eodem; cur alligata ea sit; & utrum  
ita colligata manere debeat? Respondet: Mi fili, quò factò ea alligata fue-  
rit, equidem inter tot occupationes non recordor: Non autem sine omine ſin-  
gulari factum esse existimo, fortè eandem Amplissimo Dno. Matthiæ Chri-  
stophori mittendam destinavi. Tu jam id exequere quandoquidem in eam  
incideris. Legant Teutones & Saxones, Pannonum Fata & casus tristissi-  
mos, & nobis colligeant. Sit Dnus. Cognatus noster horum omnium Com-  
mentator & interpres: Siquidem statum istarum partium & pericula nobis  
quotidiè imminencia, nemo alius VVitteberga melius ipſò novit. Hæc Pa-  
rens; cujus mandatum exequor, & hoc, quicquid est, alieni Martis, Am-  
plissimo Tuo nomini inscribo; Devastationem & Exustionem S. Georgiensis in  
Hung. Inf. Civitatis Anno 1663. d. 17. Aug. à Tartaris factam, quam ego  
Puer quinquennis ex mœnibus Urbis Posoniensis spectabam, brevi proprio  
descripturus Marte, & ex tuo Consilio, alii cuiquam Patrono, quem svaseris, in-  
scripturus. Vale. Dab. ex Museo Parentis Olassii Scepusiorum Sup. Hung. An-  
no 1671, die X. Julii, Decimo tertio meo Natali,

Christophorus Daniel Kleſch,  
Semp. Pann.



BREVIS NARRATIO DEVA-  
STATIONIS ET DIREPTIO-  
NIS OPPIDI TOPSCHA PER TUR-  
CAS FACTÆ, ANNO 1584.

14. Octobris.

AD LECTOREM.

*Calamitates quaslibet  
Pœnasq̄, magnitudine  
Hec una superat, hostium  
Si subjaces Tyrannidi.  
Concessa Davidi optio,  
Declarat esse mitius  
Dei flagellum vindicis  
Mortalium truculentia.  
Quare precare, ne DEUS  
Accensus irâ, & crimina  
Ulturus, adversarii  
Te tradat in libidinem.*

§. 1.

Oppidum Topsischa situm est intra radices Carpa- Oppidi  
thi montis, altissimarum rupium in ipsas nubes Sicus.

A 2

assur-

*Fodine  
&  
Officina.*

affurgentium & perpetuarum ferè nivium in ipsis sæpius canicularibus petrarum cacumina obvelantium quasi miraculo in Scepusio longè latèq; conspicui, ab ipsis etiam Historicis passim celebrati, tribus plus minus milliaribus ab ipso Carpatho versus meridiem disjunctum, nobilioris ferri, Chalybis scilicet, fodinis & officinis non incelebre; Unicus enim hic locus suppeditato sufficienti Chalybe ad reliquas Hungariæ commendationes, suam quoq; eidem hætenus accomodabat laudem.

*Plagiarii  
Germ. In-  
cola vo-  
cant eos:  
Martta-  
losen/ ab  
Menschē-  
Dieb.*

§. 2. Posteaquam Viciniam illam totam Turcica Tyrannis fecisset tributariam, nec tamen montes sylvosi & præalti ad Topscham invadendam hosti præberent accessum, immisis Plagiariis, qui operarios metallicos, lignatores, Carbonarios abducerent, in eas Oppidum conjecit angustias, ut cessantes operæ & minæ crebræ hostiles, ad Tributum Turcæ pendendum adegerint.

§. 3. Hoc difficile jugum, cum per aliquot annos magno suo cum detrimento & rerum omnium attenuatione sustinuissent, ita ut multi omnibus exhausti facultatibus cum extremâ conflictarentur inopiâ, nihilominus tamen omnibus viribus laboratum est, ut in posterum etiam pacem & quietem pecuniâ ab hoste redimerent. Cum verò ptæ inopiâ annum tributum unô tempore conflari & pendi non posset, parte utcunq; corrasâ, animum Tyranni placabant, ut partis alicujus, quam totius summæ exactio civibus attenuatis, esset tolerabilior; quæ quidem à necessitate petita ratio paulò post secutæ direptioni occasionem præbuit.

Cum

Cum enim fraude cujusdam præfecti pecuniæ pars intercepta, nec in publicas rationes relata esset, Begus annum tributum ab ipsis persolutum esse negans, excidium est Oppido interminatus, nisi intra certum tempus, quod præscripsit, totam summam exolverint, nuncio Oppidi frustra iram ejus deprecante, & rationem totius summæ persolutæ computante. Nihil enim est Turca crudelius & avarius, quæ quidem vitia insunt præcipua in omni Tyrannide, crudelitas vastans corpora, & avaritia seu rapacitas expilans bona subditorum. Deploratissima sanè est conditio, servituti Turcicæ subditorum. Nam Magistratus & Præfecturæ subindè mutantur, noviq; præfecti tantum abest, ut jugum misero populo relaxent, ut potiùs novis exactioibus illud aggravent, facultatibus exhaustos, & de oneris magnitudine conquerentes in perpetuam captivitatem & servitutem, unà cum Uxoribus, & liberis abripiant, nullòq; habito respectu tot exantalarum difficultatum & pensionum antea factarum. Quid hinc animi esse debet hominibus istis miserrimis, quibus semper ob oculos versatur futura captivitatis imago, ubi avaritiæ hostilis abyssum explere & exsatiare nequiverint? At, inquis, Stulti est cõpedes suos quamvis aureos amare, fatig est omnia semel amittere, & patriã relictã ad tutiora loca profugere, quàm tã exitiosam sortem ultrò opperiri? Verùm hoc perpendas velim, id non licere, propter Dominos, ut vocantur, terrestres, tùm etiam spes liberationis quandoq; secutura *οἶκον φίλον οἶκον ἀεισόν* relinquere facillè non sinit, ut difficultates quas in hac ferreã & inhumanissimã

A ; homi-

*Turcarum  
Avaritia &  
Crudelitas.*

*Tributario-  
rum Chri-  
stianorum  
Infelicitas  
& Jugum  
importabile.  
Germ. vocã-  
tur die ge-  
huldigten.  
Horum mi-  
seranda cõ-  
ditio ulteri-  
us describi-  
tur.  
Discedere  
ex Territo-  
rio iisd. non  
licet, propter  
Dominos  
Terrestres.  
Cum tamen*



*migrandi  
Libertas Co-  
lonis olim  
concessa fu-  
erit. Vid.  
Decr. Ferd.  
I. Imp. &  
Reg. Hung.  
Pofon. Art.  
XXVII, &  
sequ. Anno  
1556.  
Vid. Not. in  
fin. Hist. l.  
(a).  
Turcarum  
Astutia.  
Exploratio.*

*Invasio No-  
Eturra.*

*Germ.  
Kocken-  
Stuben da  
die Mägde-  
zum spinnē  
zusammen-  
kommen.*

hominum ætate exules sustinere cogantur, taceam, ut existimem multos domesticam calamitatem, ad quam ferendam obfirmato jam sunt animo, patienter tolerare malle, quam ut novam & inconsuetam exulcerato pectore creare velint ægritudinem.

§. 4. Cùm itaq; nuncius ad suos reversus fuisset, civibusq; Tyranni minas & simul tempus exolvendæ pecuniæ, præfixum, exposuisset, illi in tam ancipiti & difficili negotio, quid deliberarent, non habebant, minas quoq; Tyranno usitatas, non usq; adeò reformidantes, securitatem, quoad tempus illud appropinquaret, sibi ipsis imponebant. Vide verò hostis astutiam, quæ tempus contra consuetudinem præscripsit longius, & hæc fraude miseris securitate injecta, eos commodius opprimeret. Consilium plenum fraudis & perfidiæ hosti succedit. Nam post aliquot dies, quam nuncium remisisset, advolat cum exercitu per itinera difficillima, & loca hominum judicio inaccessa, Oppidumq; per speculatores, securo somno esse sepultum, cognoscit. Nulla igitur contraria reformidans arma, suos ad irruptionem faciendam & cuncta hostiliter invadenda, animat.

§. 5. Tolerantur passim in Scepusio puellarum filiducientium contubernia, consuetudine improbanda, cum ejusmodi contubernia sint vitiorum, quædam seminaria & officinæ, & bonorum morum corruptelæ: in hæc fit primus impetus, magnòq; puellarum numero illicò captò, prædæ initium inde auspiciatur, omnia simul Oppidi reliqua loca, turmæ ad hoc dispositæ, invadunt, fores & portas ubiq; effringunt; Viros, mulieres, virgines, pueros



pueros è domibus alios nudos, alios seminudos, extrahunt, candelis in hunc usum domi adornatis, omnia secreta perscrutantur, nec ipsis infantulis incunis vagientibus parcunt, sed protractos in pera Scythicas infrciunt, nec tamè eà captivorum multitudine rabies hostilis exsatiari potuit; verùm cum multos tectorum beneficio evasisse animadvertisset, ignem his injiciendum præcipit, unde incendium repentè per ædificia grassari coeptũ, multos in obscura nocte latentes, prodidit, & quibus tecta incolumitatem dare potuissent, in potestatem Turcicam ultrò prodire coëgit.

§. 6. O miserabile & triste spectaculum! O calamitosissimam generis humani conditionem! Quid cogitari potest tristius, quàm si hostem truculentum, acinace Scythico tibi mortem minitantem, nĩ te dedas, videas? Si domum tuam horribili fragore & incendio in cineres collabi? Si omnia tua diripi? Si Uxorem & liberos charissimos ab immanissimo barbaro hinc inde nudos raptari, & procacitè tractari aspicias? Si liberis dulcissimis altà voce auxilium patris inclamantibus, vinctus & ipse, opitulari nequeas? Iste profectò calamitatum concursus humanam naturam planè obruit, homines ipsis affectibus exuit, ipsamq; mentem de sua statione deturbat. Vox humana eloqui non potest promiscuæ multitudinis clamores, puerorum ejulatũs, & miserarum puerperarum ululatũs. Multitudo captivorum in unum agmen coacta, veluti pecora, nocte intempestã abigitur, hostibus undiquaq; cincta, ut elabendi spes omnibus interciperetur, iis exceptis, qui in Oppido & in itinere trucidanda-

*Ignis injectio.*

*Rabies Turcarũ immanissima.*

*Calamitas captivorum.*

cidati sunt; Magnis itineribus majori parte discalceata properatum est, ut Filekum maturè pertingerent. Nulla senibus, nulla pueris, nulla puerperis, & partui vicinis in itinere faciendo concessa & exhibita misericordia.

*NB.*  
*Captivorum in Templo occlusio.*  
*Pœna Cōtemptus verbi div.*  
§. 7. Priusquam Filekum pertingere possent, emenso unius diei itinere, in Oppido Steffensdorff pernoctandum fuit, ubi multitudo templo inclusa sollicitè custodiebatur. Id sine nutu Numinis Divini factum esse non puto. Admonebantur enim de Dei judicio, & immisi divinitus flagelli causâ: quæ erat divini verbi & sacri cultus contemptus & neglectio, vulgatissimum hâc nostrâ tempestate vitium. Hoc erat triste & durum compelle intrare. In otio enim & pace sacri coetus non frequentantur, dies sacri in crapulam, avaritiam & alias turpitudines exercendas transferuntur: quæ peccata hoste & captivitate plerumq; puniuntur, 2. Paralip. 36.

*Captivorum Venundatio.*  
*Hypotyposis.*  
§. 8. Posteaquam Filekum perventum esset, tertia pars prædæ pro more & Scythica consuetudine Beko cesit, ubi tertius quisq; nullo habito familiarum discrimine, in Beki possessionem venere, utroq; sexu eam conditionem subeunte. Reliqua turba militibus prædatoribus cesit, quæ illicò sub hasta, militari ritu, venundata est. Qualis hîc bone DEUS, miseriarum fuit facies? confluentibus è longinquo ad prædæ emptionem mercatoribus, Judæis & Mangonibus. Maritus uxorem, Uxor maritum, parentes liberos in amplexu ipsorum hærentes, sponsus suam sponsam, locò expositarum in foro mercium à Tyranno magnâ pecuniâ vi licere & vendi,

veni, à Mangonibus verò multo argento liceri & emi conspicatur. Cui quæso hoc miserabile spectaculum ad commiserationem vel ferreum pectus non excitaverit? Venit immanis & avarus Usurarius Judæus vel Mango, ab uberibus & amplexu matris teneram avellens sobolem, matre horribili ululatu exclamante: Cur meum charissimum corculum, quod magnis doloribus genui, & multis laboribus & vigiliis educavi, mihi eripis? minabundus respondet: Filius seu filia jam tui non sunt. Hos enim precio emptos mihi mancipavi. Estque inter cætera hoc omnium tristissimum, masculam juventutem non tantum sacris Mahometicis illicò initiari: verum continuò exercitiis submitti militariibus, & Turcicâ imbui feritate, ut postea ipsis Turcis immaniolem erga Christianos præ se ferant truculentiam. Matronarum honestarum & virginum pudicitia in quo discrimine & jactura fuerit, gemitu facilius quàm verbis expresseris. Id tamen, quod ab ipsis hostibus moderatioribus commendationem meruisse dicitur, silentio non est prætereundum.

§. 9. Turca quidam impurus conabatur Virgini captivæ per vim eripere pudicitiam, quod periculum cum aliâ nullâ ratione evitari posset; Virago, ut casti decus pudoris conservaret, honoris & corporis tutandi gratiâ eductò clam cultellò, & abdomine hostis trajectò, Satyro impurissimo, & libidinem & vitam memorabili facinore eripuit. Nullum seminudis hostis avarus suppeditat vestitum, eò habitu, quò plerosque primo obrutos somno oppresit, corpora teguntur, discalceatos multos,

discin-

*Deploranda Sors filiorum s. Masculorum captivorum.*

*Virginis captivæ Heroicum facinus.*

*Mangones  
sive Empro-  
res Captivo-  
rum.*

*Topshensiu  
Captivorum  
Dispersio.*

*Suspirium  
pro Capti-  
vis.*

*Monitum  
Auctoris ad  
Vicinos Sce-  
pusenses.*

*Matth. 3.  
Innata Sce-  
pusens. car-  
nalis Secu-  
ritas.*

discinctos, nudo capite, mulieres solâ interulâ te-  
ctas, dum conceditur in publicum, ad sordidos  
quosq; labores prodire oportet, illis exceptis, qui-  
bus libido expleta gratiam mancipis conciliavit :  
vel quorum liberalis facies & spes lucri mangones  
ad hanc exercendam humanitatem excitavit, ut ve-  
stium aucupio merces miserandas eò citius extru-  
dant. In partu verò existentibus (quod non pau-  
cis accidit) deploranda conditio fuit subeunda.  
Infantes adhuc à partu crudi matribus erepti & vē-  
diti; puerperæ verò altero vel tertio pòst die procul  
abductæ sunt : Hanc tristissimam Topschenses  
subivère dispersionem & dissipationem : quorum,  
alii Budæ, alii Albæ, alii Constantinopoli, alii aliis  
in locis morte duriore premuntur servitute. Deus  
Pater omnis misericordiæ misereatur tam illorum,  
quàm etiam nostri, quibus hòc suæ iræ exemplò, se-  
curitatem carnalem excutere, & seriæ pœnitentiæ  
studium imprimere voluit. Non enim meliores  
sumus fratribus & vicinis nostris. Eadem securi-  
tas, idem profanus Dei contemptus, & alia enor-  
mia flagitia grassantur passim ubiq;. Similibus  
autem delictis similes debentur pœnæ.

§. 10. Habent nostri Scepusii speculum, in quo  
Divini Judicii severitatem assiduè contemplantur,  
quorum conspectui DEUS venturarum calamita-  
tum objecit exemplum, ut nos ad seriâ pœ-  
nitentiam, & securitatis carnalis in diuturno o-  
cio & pace contractæ abnegationem excitet. Jam  
enim securis ad radicem arboris posita est. Nemo  
igitur dicere præsumat : Scepusium amœnissimus  
hortus est, montes perpetui, inexpugnabiles muri  
sunt,

sunt, qui nos tranquillo & bono jubēt esse animo.  
At ego dico : Si furor Domini DEI excanduerit,  
hunc amœnum hortum crudelis devastabit aper.  
Montes autem hosti subeunti circumfundent um-  
bram, ne citiùs, quàm crudelitatem ipsius experi-  
aris, conspici possit, crede mihi.

*Nullus invius est DEI flagello*

*Locus, quin sceleri impio rependat*

*Insuperatam aliquando talionem.*

*Cingant te licet æquoris profundi*

*Gurgites, juga montium perennem*

*Circumdent tibi seu velut catenam,*

*Seu nidum tibi rupibus præaltis,*

*Sive in aëre pendulum locâris,*

*Cuncta pervia sunt DEI flagello.*

§. II. Assiduè meditemur, quid respondeat  
Propheta suæ ætatis irrisoribus dicentibus : Flagel-  
lum inundantis cùm transibit, non obveniet nobis.  
Quia disponimus fallaciam receptum nostrum, &  
in mendacio abscondimus nos. Præsidia, quibus  
plerumq; nituntur homines securi & profani, ap-  
pellat fallaciam & mendacium. Solent enim va-  
nas hominum spes turpiter eludere, & falsam eo-  
rum expectationem frustrari. Quis enim Vindi-  
ctam DEI Omnipotentis solâ fretus vanitate un-  
quam effugerit, ut ejusdem Prophetae comminatio  
ostendit. Cùm attollens, inquit, DEUS vexillum  
ad gentes è longinquo, & sibilans advocaverit ad se  
ab extremo terræ: eccè citò velox adveniet exer-  
citus. Nullus erit fessus, nullus impingens in eo,

*Nostrî  
Chaldaei  
celerēs,  
sunt Tur-  
ce & Tar-  
tari uli-*

*ma Seculi &  
cum primis  
Christiano-  
rum Virga.*

*Verâ & se-  
riâ Pœnitē-  
siâ Malum  
hoc avertē-  
dum evitā-  
dumque.*

*Prodigia &  
Omina hu-  
jus Deva-  
stationis va-  
ria anteces-  
serūt: ut pote  
Lusus Pue-  
rorum com-  
plicatis in  
Crucis for-  
mam mani-  
bus, veluti  
vincitorum.  
Motus Ter-  
ra solidissi-  
ma creber-  
rimi.*

non dormitabit neq; dormiet, etiam non solvetur  
Zona lumborum ejus, neq; avelletur corrigia cal-  
ceamentorum ejus: Cujus sagittæ erunt acutissima,  
& omnes arcus ejus intenti, unguæ eqvorum ejus  
similes rupi reputabuntur, & rotæ currnū ejus si-  
miles turbini. Rugitus ei ut immanis Leonis, ru-  
giensqve ut juvenes Leones fremet, &prehendet  
prædam, salvamq; deportabit, & nemo eripiet.

§. 12. Quaproptèr tandem evigilemus ex isto  
securitatis veterno, & cum non tantum minas in  
verbo Dei propositas audiamus; Verum etiam pro-  
digia, quibus ira DEI, & impendentia mala denun-  
ciantur, sint conspecta, seriâ ad DEUM conversio-  
ne, & sanctâ morum gubernatione DEUM infensū  
placemus, ne postea cingentibus nos undiquaq; di-  
vinæ ultionis fluctibus ad seras preces obsurdescat.  
Hæc deberet esse Christianorum Sapiencia, quæ et-  
iam ab Ethnicis seræ præfertur pœnitentiæ, juxta  
illud Halicarnassei: *κρείτων ἢ ἀγνοία τῆς μελαμελείας.*  
Anteqvam Topschenses hanc calamitatis subirent  
aleam, mirabili genere prodigii secutorum ma-  
lorum admoniti sunt. Confluxerat in Oppidi fo-  
rum magna multitudo puerorum, quorum nume-  
rus non putatur abfuisse ab 80. ii decussatim seu  
in formam Crucis compositis manibus, iisque mu-  
tuò concatenatis, in publico loco, quoddam futu-  
ræ captivitatis & vinculorum, omnibus spectatori-  
bus exhibuerunt præludium.

§. 13. Montana metallifera, Scepusio Vicina,  
ante paucos dies, his in locis rarò auditò, penè &  
in usitatò exemplò, ex terræ motu tremuisse dicun-  
tur, ipsâ terrâ ad futuras calamitates, nî respueri-  
mus, quodammodo exhorrescente. Prodigium  
hoc

hoc causas Physicas excludit, cum non tantum in locis effosso metallo concavis, sed etiam in solidis, & aliquot inter se milliaribus distantibus idem observatum sit. Deus clementer ab his locis avertat hostiles easque improvisas incursiones & devastaciones.

§. 14. Tempore Vindemiæ, ut ex fide dignis est cognitum, mustum per os vasis altam excussit flammam: ad quod spectaculum cum multi rei novitate perciti, accurrissent, flamma aëris impulsu ab ore vasis in terram delapsa, cremabilemque materiam exurens, manifesta solo in prodigii testimonium impressit vestigia. Nullum verò portentum in rerum natura extare potest tetrius, quòd hoc tempore illi, qui Christianos & gregis Domini Pastores se esse profitentur, doctrinam de fide, totum Christum cum omnibus beneficiis apprehendente, ausint appellare hæresin: cujus portenti autores & propagatores, ut sese in Angelos lucis transforment, monstra & pestes Ecclesiæ verius dixeris, quam Christianos. Non enim tantum Evangelium cursum remorantur, sed & Traditionibus suis, Pharisæicisque cuniculis ejus everisionem machinantur. Deus ignoscat per ignorantiam peccantibus, eosque convertat. Spiritus S. disertè testatur Christum Dei filium qui nos dilexit, & seipsum in ara crucis hostiam æterno Patri obtulit, in nobis vivere per Fidem, Eph. 3. in nobis manere per FIDEM. Huic salutari luci quid aliud opponere possunt adversarii, quam monstrosarum opinionum tenebras: de quâ hominum perversitate & cœcitate ipse Filius DEI conqueritur, Johan. 3. Hæc est, in-

B 3

qvit,

*It. Ebullitio  
Musti flammæ  
meæ.*

*Causa generis  
ina hujus  
Mali: Evā-  
gelii Persecutio.*

*Christia-  
norū Di-  
scordia.*

qv̄it, condemnatio, qv̄od lux venit in mundum, sed dilexerunt homines potiùs tenebras qv̄am lucem, qv̄ia sunt eorum mala opera: qv̄a clausulâ significatur, eos, qv̄i hanc Doctrinâ partem de Fide oppugnant, totum Evangelium exosum habere, ipsosq; ambitione, superbiâ, hypocrisi, fastu, luxuriâ, privati commodi studio, & divinarum promissionum & comminationum contemptu, mundo neqv̄aqv̄a cedere. Hæc peccata armant Turcas in nostrū exitiū, fœlicesq; eidē parāt progresso, qv̄æ omnibus viribus & studio ex agris & finibus Ecclesiæ essent profliganda, ut cœlesti Numine nobis placato, ipsius ope & auxilio sangvinarii hostium conatus eludantur, viresq; ipsorum atterantur. Verūm deplorandus est cordium nostrorum stupor & rebellio, qv̄emadmodum ipsius DEI qverela Psalmo 81. testatur: O si populus meus auscultasset mihi, si Israëlitæ in viis meis ambulassent, vel momento inimicos eorum depressissem, cum in hostes eorum convertissem manum meam.

*Votum.*

§. 15. Nihil igitur certius expectet præfracta hominum contumacia, qv̄am atroces pœnas & divinæ vindictæ gravitatem, & cum sint *μορίας ἀτυχημάτων ὁδοί* repentino & insperato impii involventur exitio, cum dicent: Pax & tuta omnia. Deus nostri misereatur, servetq; sibi inter nos semen sanctum, nec Ecclesiæ hospitia barbaricâ feritate & immanitate prorsus deleri sinat, ad nominis sui gloriam!

Adver-



# Adversaria quædam sive

Notæ.

**E**X Paragrapho I. Oppidum hoc Dopscha habet plus minus triginta Dominos Terrestres: Primarii ex his sunt; Appassiana, Thoëkoliana, Andrasiana &c. Familia; quarum singula quindecim plus minus Subditos possident; Reliqui Domini Nobiles singuli quatuor, quinque, sex Subditos habent; nonnulli vix duos. Incola huius oppidi omnes sunt Germani & γμοίως AUG. CONF. addicti.

Ex S. 3. Praesidium sive Arx finitima Fillek, tunc t. erat in potestate Turcarum, post aliquot Annos à Christianis vicissim expugnatum & recuperatum, & sic Dopscha post hanc exustionem à jugo Turcico liberata. Sed paulò post Turca Christianis Agriam eripuit, quæ Dopschâ distat 12. Milliaribus, & sic totus iste Districtus à parte Meridionali deditio factus est. Solvunt itaq; Dopschenses Tributum Annuum Baschæ Agriensi, Dominis Terrestribus Christianis (ixεισιαvois penè dixerim & immisericordibus) nihil prorsus de rigore suo & Censuum exactione remittentibus. Miseranda planè Sors istorum hominû est, quibus nec migrare aliò conceditur, nisi fortè in Turciam aufugere, & ibi pedem figere velint. Si in alia Christianorum Dominia se recipiant & commigrent, nullibi tuti sunt, aut persistere possunt. Domini quippè ipsorum Terrestres (Christiani scil.) eosdè undi-

andiq; investigant & persequuntur, veluti man-  
cipia ligant & reducunt, fustibus plus centies Tur-  
cico more pulsant, compedibus multant, incar-  
cerant &c. Sunt Nobiles, qui Mechanicos, Sar-  
tores, Sutores, Fabros &c. in Pagos suos alliciunt,  
libertatem promittunt, domunculas eisdem habi-  
tandas locant, donant; qui incauti, ubi matrimo-  
nio juncti liberos procreant, mancipantur. Disces-  
sit ejusmodi Liberi Mechanici filius, & in XIII. Op-  
pida migravit, is captus à Nobili, non secus Liberta-  
tem suam redimere poterat, quàm 200. Imperiali-  
bus. Profectò Turca ipse à tam paupere homine vix  
tantam pecunia summam postulasset. Et hæc op-  
pressio pauperum est vox calamitans in cælum, ob  
quam Libertas Hungaria jam patitur. Tolerabile  
fortè adhuc diceres jugum, nisi gravius accederet,  
quod nunc qs. datà operà subticeo, ceu materiam,  
nostræ Nobilitati odiosam, quæ nimium quantum  
veritate exacerbatur. Unum silentio præterire non  
possum, quòd imperiosa Hungarorum Baronum &  
Nobilium Dominatio, omnem nobis Ecclesiasticam  
eripiat Disciplinam, licet & ipsi unà nobiscum Aug.  
Confessione sint addicti. Nòrunt illi inter Subditos  
suos, plerosq; prædones & Latrones, & hos impunè.  
Ut nil dicam de Scortatoribus aliisque facinorosis,  
percussores Parentum tolerant, fovent, protegunt,  
nec, ut eos disciplina subjicerem Ecclesiasticæ, Domi-  
nus

nus Terrestris permisit. Remotionem nobis ob levi-  
culam causam mox minantur. Certus sum, si ista  
ante Obitum meū vulgari contingeret, aut me Auto-  
rē prodi, illicò me miserum Seniculum à Patronis ab  
officio remotum & è Parochia exturbatum iri.

Ex §. 3. Marg. l. (α) Narrant nostratibus Captivi, quòd Elee-  
mosynam petentes in Germania nullibi ferè admittantur; quid fieret  
miseris Exulibus? Sipienti sat!

Ex §. 4. Incola quidam circa horam quartam vespertinam ex  
Sylva domum reversus, observavit Turcas in valle quadam Namsen-  
grund in insidiis jam excubantes, & magno Desiderio nocturnas tene-  
bras in silentio alto exspectantes, accessit Judicem Oppidi cum Sena-  
toribus suis Furatis in Oenopolio (qui Genius istorum Locorum quoti-  
dianus est) compotantem, praeconitq; ut vigilarent hanc nocte, ad-  
vertisse se Turbas & Turmas quasdam peregrinas in proxima valle:  
Quem Judex benè potus derisit, dicendo: Nachbar/ Ich weiß wohl  
warumb ihr seyd herkommen/ Ihr wolt gerne schlubern. Pudefactus  
miser discessit cum gemitu & inquit: Ich habß euch gesagt / ihr  
möcht nun thun/was ihr wollet. Is cum Uxore & Liberis per Posti-  
cum Domūs suae latebras tempestivè quarendo, in proximum Dume-  
tum densissimum se abscondidit, sicq; periculum evasit servatusq; est.

Hec & plura alia CASPAR PILTZIUS, Autor hujus  
Narrationis adnotavit, quae brevitatis Studio omittuntur, tum  
quòd ipse Autor me Fratrem suum, Historia hujus Custodem enixe  
petierit, ut hoc tempore periculoso supprimerem, nec ipsi aut posteris  
nocerè. Addictus hic aliquādiu erat Calvinistica Secta, quae Errorè  
execrabile, divinà adjutus gratiā, detestatq; tandè, Anno 1593. in festo  
Transfig. Christi Iglovvia, in Generali Congregatione revocavit e-  
juravitque. Formulam solennis istius Revocationis adhuc aservo  
sub manibus meis. Excessit è vivis Anno 1605. tempore Disturbio-  
rum Boczkaiandrum vita satur, propè octogenarius, filio unico à stu-  
diis alieno, tribusque filiabus relictis. Qui si nunc viveret, sedatus  
jam motibus Boczkaianis, longè duriores experiretur Nobiles imò &  
deteriores, valedictionem à nobis quotannis exigentes. Profectò mei

B

Nobi-

Nobiles & Patroni Agasnonem suum pluris faciunt estimantq; quam  
me Animæ Curatorem Ecclesiæque Ministrum. Longè vehementio-  
ri itaque uteretur Stylo Frater meus pientissimus, & acriori calamo  
extremum hunc Ven. Ministerii contemptum perstringeret, si supera-  
ret Vir optimus, cujus B. MANIBUS, hæc inter secretiora Arca  
mea recondens & propter pessimos exulceratissimi Seculi mores pro  
Posteris asservans, hoc parentavi tetrasticho:

CASPAR obis, inquisque Tuos, svavissime Frater?

Quàm benè! Nos Turbæ, Te manet alma quies.

O utinam Tecum moriar! nos contegat ambos

Urna eadem! Spero, Te sequar ipse brevi

*duolog. d. in M.*

*A.O.R. cl. l. c. XVI.*

*sub Comitibus Regni H.*

*Mæstissimus Frater*

J. PILTZIUS.



### MANTISSA.

NB. Quid si nunc superstites essent ambo PILTZII? quomodo  
inveherentur adversum Seculi hujus & præsentis Ætatis MORES?  
Ad summum ventum est: Nunc omninò suspirarent mecum &  
ingemiscerent: O DEUS, in quæ nos reservasti Tempora!  
Nihil addo ampliùs, præter Chronodistichon, Annum, Mensem  
& Diem hujus Excidii exprimens, quod habeo ex Communicati-  
one Pl. R. Dni. Philippi Heutschii, olim Dopschenensis, jam Men-  
hardensis Ecclesiæ Pastoris, Fratris nostri in Christo dilecti:

Bl's septena Dies Octobris Vt aXe refVLget,  
DopsChlna fLeblLter rVrCICo ab Igne perle.

*Ἐπιγράμματα ad filium meum CHRISTOPHORUM DANIELEM*  
*Historiæ hujus Editorem:*

Sic benè, mi Fili, de Posteritate mereris,  
Dùm Puer exqviris, quæ profutura Viro.  
Non tua, nec mea sunt; non Autor, at Editor ipse es,  
Ingredere ingenuæ nobile laudis iter.


Sed

Sed vanam fuge gloriolam, ceu spicula Pestis;  
 Turpi sit tua mens ambitione carens.  
 Per te crescat honor JOVÆ, atque Ecclesia fructum  
 Ex te percipiat; deditus esto Sacris.  
 Dirigat ipse DEUS teneræ conamina mentis,  
 Esto tuo probior doctior atque Patre.  
 Nil cura Invidiam: poteris memor esse, quot hostes  
 Ipse habui; haud animæ, crede, Vir ille oberit.  
 Hâc parte arrosam Patris defendito famam,  
 Filius omninò sic benedictus eris.  
 Sique bonæ frugis fueris, Cacus ille dolebit;  
 Mortuus in te sic ipse superstes ero.

Syr. XXX, 3.  
 vers. 4.

Olassi Scep. Anno  
 Orb. Red. 1671.  
 VI. Cal. Sextileis.

*Sic spero, dum spiro,  
 sic opto precorq;  
 Pater in Tuam Salutem unice intentus*  
 M. Daniel Klesch, N. H. P. L. Cæs.  
 Ecclesiæ Olass. Pastor, & Ven. Cons.  
 Orator.

  
**C**HRISTOPHORUS DANIEL, Prænomine, Nomine dictus,  
 Fratris Germani Filius Unicus est.  
 Sed meus est DANIEL Prænomine ritè vocatus;  
 Nomine CHRISTOPHORUS; Natus & unicus hic.  
 Ordine mutato sint omina Nomina vestra;  
 Maximus & minimus sint in { Honore } pares.  
 { Amore }

*Sic ominatur*  
 Christophorus Klesch, Pastor  
 Georgiomontanus & Ven. Con-  
 sult. Notarius.

  
*Scazon.*

**C**HRISTOPHORE DANIEL, quid capes sis incautus?  
 Quid scriptitas Puer, mirabili hoc Seclò?

Sed

Sed erro valdè : Scripta jam diu , prodis  
 Vulgasque, non furaris , inscii expilans  
 Peram Parentis, ara nec libros aufers.  
 In Literis Plagiarius fores forsan ,  
 Eas sacrilegâ manu resignares.  
 Non hoc facis nolente Patre & invito,  
 Sed conscio & annuente Scripta secreta,  
 Exponis orbi. Maeste frugis optatæ  
 Ephebe, cresce, adolesce : Te DEUS servet  
 Solamen in Parentis , Matris & Stirpis.

*Beneficiorum à Parente Tuo acceptorum Memor*

J. W. G.

**Q**uid Tyro scribam Tyroni? Nil nisi Nomen :  
 Vive, stude, & flore, CHRISTOPHORE ô DANIEL !

*Sic gratulatur Patrueli suo amicitus*

**Daniel Christophorus Klesch,**  
 Christophori Filius.

M A D R I G L I

**S** wo ein hoher Geist  
 Zu finden / welcher seine Sinnen  
 Vergöttern soll mit löblichen beginnen /  
 Der kan sich halten nicht /  
 Die Tugend sich erbricht /  
 Gleich wie die Flamme nicht zu dämpffen  
 Dawieder man mit Stroh will kämpffen:  
 So dringt empor der kluge Sinn.  
 Du zeigst dis auch von dir /  
**HERR WETTER** / deiner Freundschaft Bier.  
 Nim von mir dieses hin  
 Zum Wunsch : Dein Lob soll ewig bleiben.

Also wolte seinen lieben Herrn Wetter  
 beglückwünschen  
 Johannes Ephraim Christophori, Witteb. Saxo.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA!


Aug VI 60

ULB Halle 3  
003 132 900



VD 17









DEUS ADJUTOR NOSTER!  
**TOPSCHA, sive  
DOPSCHINA,**

(Die hübsche Que/ zwischen dem Gebürge)  
AL. TOPSCHINUM, OPPIDUM METALLI-  
CO-MONTANUM CHALYBIFERUM,  
HUNGARIÆ SUPERIORIS  
IN TERMINO BOREALI COMITATUS  
GÖMÖRIENSIS SCEPUSIUM VERSUS SITUM, ANTE  
HOC FERME SECVLUM, REPENTINA EAQVE NO-  
CTURNA TURCARUM FILLEKIENSIVM IRRUPTIO-  
NE DEVASTATUM, INCENSIS ET IN CINEREM  
REDACTIS ÆDIBUS, ET, PROH DIRVM  
SPECTACVLVM!  
CAPTIS ABDUCTISQVE OMNIBVS VTRIVSQ; SEXVS  
INCOLIS Anno 1584. d. 14. Octobr.  
Cujus Casus Tragici Historia olim contexta fuit

à  
**CASPARE PILTZIO Loci**

Ejusdem tùm Pastore;  
Nunquam autem Typis exscripta publicis:  
Inventa nunc in Scrinio Chartarum Rapsodicarum;  
Producta & Posteritati commendata

à  
**CHRISTOPHORO DANIELE KLESCHIO,**  
SEMPR. Dan. Fil.  
A. O. R. c. l. l. c. LXXI.

WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS HAKEN.

III. 2579

